MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (TEIL III)

Zwettl, 1. Viertel 13. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

lustrare, assumptisque secum .xi. fratribus eo fidei fervore accensus, quo et ipse navem conscendit. quorum aliqui ob predicationis perpetua instantia martyrio coronati sunt, alii vero episcopatus ordinem accipientes post sancte predicationis labores in pace quieverunt. Igitur viro dei cum sociis sicut prediximus navigante, dono prospero cursu in hostia Reni fluminis vela deposuit. ibi optata telluris statione refocilati sunt. et mox ad castellum Traiectum, quod in ipsa eidem fluminis ripa situm est, pervenerunt. In quo etiam post aliquod tempus deo donante et verbo fidei crescente idem sanctus Willibrordus sedem episcopatus sui habuit. Sed quia gens eadem Fresonum in qua idem edificatum est castellum cum rege suo Ratpodo paganis adhuc ritibus sordebat, visum est viro dei Franciam contendere, ac ducem illorum adire Pippinum, virum strenuum, triumphis clarum, moribus probum. Qui eum cum omni honore suscipiens, sed nolens tanto doctore se vel suam privare gentem, loca ei oportuna intra terminos regni sui providens, quo potuisset ydolatrie spinas extirpare, et purissima verbi semina per munda novalia habundantius spargere, ut impleret propheticum illud preceptum: Novate vobis novalia, et nolite serere super spinas.

Cumque studiosissime vir dei per loca singula discurrendo optatum evangelizandi opus exercuisset, et semina vite superne gratie rore irrigante longe lateque in agris multorum precordiorum ad eius predicationem uberrime pullulassent, congaudens predictus Francorum dux eius sanctissima devotione, et verbi dei clarissima predicatione multiplicatione maioris profectus occasione prudenti cogitabat consilio eum Romam mittere, ut a domno apostolico Sergio viro sanctissimo tunc temporis in summi sacerdotii honorem ordinaretur, quatinus apostolica benedictione et iussione suscepta, maiori ab eo missus fiducia roboratus in opus evangelii reverteretur, iuxta illud apostolicum: Quomodo predicabunt nisi mittantur? Quod cum viro dei persuadere temptaret, renuit primum, nec se tante auctoritatis honore dignum esse ferebat, enumeratisque apostolice sanctionis preceptis, longe se inferiorem huic virtutum cathalogo asserebat, quem egregius predicator mundi filium suum Tymotheum erudiens oportere episcopum habere censuit. Dux vero contra religiose suasit, quod vir dei verecunde negavit. Tandem omnium unanimitate victus, et quod maius est dei dispensatione coactus consensit, magis volens plurimorum humiliter obedire consilio, quam suam pertinaciter defendere voluntatem, et sic cum honorifica legatione et muneribus apostolice auctoritatis condignis Romam directus est.

Sed die quarta priusquam illo veniret, beatissimus apostolicus angelica in somnis responsione ammonitus est, et quod multarum esset animarum futurus a deo electus, et ob hoc venisset ut summi ab eo sacerdotii honorem suscepisset, nichilque negandum esset quicquid petisset. Qua factus apostolicus ammonitione certus cum magno gaudio et summo eum suscepit honore, et ut in eo fidei agnovit fervorem, religionis devotionem, sapientie plenitudinem, die competente ipso adveniente advocatis venerabilibus societate ministerii sacerdotibus publice in ecclesia beatissimi PETRI principis apostolorum cum magna dignitate more apostolico eum ordinavit archiepiscopum, ac ordinationem clemens vestimentisque suis sacerdotalibus induit eum, et sancto quasi humerali Aaron pallio dignitatis et indumenti confirmavit gloria: et quecumque voluit aut petiit, aut in patrociniis sanctorum aut in rebus ecclesiasticis, cum tota mentis alacritate tradidit illi. firmatumque benedictione, donis dotatum cum salutaribus preceptis iterum eum in opus evangelii remisit.

Accepta etiam apostolice auctoritatis benedictione cum maiori fiducia devotus verbi dei predicator ad prefatum Francorum ducem regressus est, qui eum cum summa honoris magnificentia receptum cum sue potestatis vigore in opus evangelii direxit, maxime tamen in borealibus regni sui partibus, quo eatenus ob raritatem doctorum vel duriciam habitatorum fidei flamma minus relucebat. Quo vir dei instantius illis in regionibus semina vite sparserat, quo plus necessarium antiquam ignorantie famem depellere conspexerat. Qualem divina gratia adiuvante illis in locis fructum fecisset, testes sunt usque hodie populi per civitates vicos et castella, quos ad veritatis agnitionem et ad unius omnipotentis dei cultum pia ammonitione perduxerat. testes quoque ecclesie quas per loca singula construxerat, testes famulantium congregationes quas aliquibus adunavit in locis.

Temptavit quoque idem vir dei ultra Francorum regni fines celestis doctrine flumina derivare. Nam tunc temporis regem Fresonum Rabbodum cum sua gente paganum non timuit adire, et quocumque perrexerat verbum cum omni fiducia loquebatur. Sed prefatus Fresonum rex virum dei humilitatis gratia benigne suscipiens, nullis tamen vite fomitis ob saxeum cor eius emolliri potuit. Et dum apud eum vir dei fructificare non posse agnovit, ad ferocissimos